



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum**

**Simonnet, Edmond**


**Venetiis, 1731**

Disputatio III. De peccatis ignorantiae & omissionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

merando rationem habere debet non solum dignitatis personae remuneranda, sed etiam propriae. Unde quilibet obsequia à Christo Patri exhibita, merebantur primum magnum relatè ad dignitatem Verbi & Patris aeterni, proindeque primum in ratione pramii simpliciter infinitum: cum nihil finitum posset esse magnum in ratione pramii secundum moralem aestimationem relatè ad Deum pramiantem Deum, hoc est, relatè ad personam infinitam simpliciter excellentiae pramiantis, & personam infinitam quoque dignitatis pramiantis.



DISPUTATIO III.

De peccatis ignorantiae & omissionis.

ARTICULUS I.

Utrum dentur peccata ignorantiae.

**N**Ota. Triplex distinguenda est ignorantia, invincibilis scilicet, quae est eorum, quae quis non potest scire, adhibita morali diligentia; ignorantia affectata, & directè volita, quae est eorum, quae quis tenetur scire, sed non vult, ut liberius peccet; & ignorantia non affectata, & indirectè tantum volita, quae est eorum, quae quis scire tenetur, sed negligit. Quae negligentia potest esse gravis, vel levis. Unde ignorantia non affectata dividitur in supinam & non lupinam, prout est ex ignorantia gravi, vel levi. Ignorantia invincibilis excusat totam culpam: unde ea, quae ex illa male fiunt, non sunt peccata, nisi materialiter, & ita dici non possunt peccata ignorantiae. Ignorantia affectata non modò non excusat culpam, sed potius eam auget; & quia equiparatur certae scientiae, ea quae ex illa male fiunt, potius dicenda sunt peccata malitiae, quam peccata ignorantiae. Ignorantia non affectata non excusat quidem culpam, sed eam minuit, quia minuit voluntarium; unde communiter dicitur à Theologis non excusare à toto, sed solum à tanto: non quòd peccatum, quod esset mortale, si cognosceretur ejus malitia, fiat veniale propter quamlibet ignorantiam non affectatam: nam ignorantia non affectata, graviter culpabilis, non excusat peccatum mortale; sed quia qui male agit ex ignorantia non affectata, minus afficitur ad malum, quam qui peccat ex certa scientia, aut ex ignorantia affectata; & ita peccat minus, sive mortaliter, sive venialiter tantum peccet. Itaque ea, quae male fiunt ex ignorantia non affectata, sunt peccata. Quòd si graviter prohibita sunt, & fiunt ex ignorantia supina, sunt peccata mortalia; si verò non sunt graviter prohibita, aut non fiunt ex ignorantia supina, sunt peccata venialia tantum. Haec autem peccata, sive mortalia sint, sive venialia, sunt ea peccata ignorantiae, de quibus hic agitur, & de quibus hic quaeritur, utrum dentur. Quod perinde est, ac quaeratur, utrum homines propter ignorantiam, etiam indirectè tantum volitam in negligentia addiscendi, peccent aliquando, sive venialiter, sive etiam mortaliter, malum aliquod faciendi absque omni serupulo vel dubio circa malitiam ejus; imò cum persuasionem non solum quòd non male, sed etiam quòd bene fiat.

RESPONSIO.

Dantur peccata ignorantiae.

*Prob. 1. ex Script. Nam 1. Levitici c. 5. dicitur: Anima, si peccaverit per ignorantiam... offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti juxta mensuram aestimationemque peccati: qui orabit pro eo, quod nesciens fecerit, & dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Dominum. Et Numer. c. 15. Quòd si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo, & deprecabitur pro ea sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino. Ex quibus locis apparet, in veteri lege instituta fuisse sacrificia ad expianda*  
*Simonne Theol. Tom. I.*

ea, quae male fiebant ex ignorantia non affectata, & quae proinde erant peccata: nam si non fuissent peccata, profectò non indignis expiatione.

2. *Plal. 24. David sic Deum orabat: Delicta juvenutis meae, & ignorantia meas ne memineris.* Pecebat igitur veniam non solum eorum, quae male fecerat ex certa scientia, sed etiam eorum, quae male fecerat ex ignorantia, orta tantum ex addiscendi negligentia, ut rectè interpretatur Synodus Palaestina. Putabat igitur ea, quae male fiunt ex tali ignorantia, imputabilia esse ad culpam & poenam. Item Luc. c. 12. Christus dicit: *Servus... qui non cognovit (voluntatem domini sui) & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Servus itaque agens contra voluntatem domini sui ex ignorantia indirectè volita in addiscendi negligentia, facit tamen digna plagis, & meritò vapulabit, quamvis minus, quam qui contra voluntatem domini sui egerit ex certa scientia.

Item Apostolus 1. ad Timoth. c. 1. sic ait: *Blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus. Sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Apostolus igitur, antequam ad fidem converteretur, gravissimè peccabat persequendo Ecclesiam, licet hoc faceret ex ignorantia, & hoc faciendo arbitrareretur se obsequium praestare Deo: sed quia hoc non faciebat ex ignorantia affectata, sicut Scribae & Pharisei, qui Dominum crucifixerant, consecutus est Dei misericordiam, qua tamen non indignis, si negligentia addiscendi, vel persuasio illa, ex qua agebat, eum à culpa excusasset. Unde S. Fulgent. qui ad probanda ignorantiae peccata textus hoc secundo num. allegatos citat lib. 1. de remiss. peccat. c. 13. sic rectè ex verbis Apostoli concludit: *Ne quis ergo sibi de ignorantia blandiatur, attendendus est Apostoli sermo, qui se ignorantia quidem defecisse pronunciat, sed tamen se peccasse non negat; imò expressè fatetur se peccasse, & quidem gravissimè.*

3. Idem Apostolus 1. Cor. c. 4. dicit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Nullius peccati sibi conscius erat Apostolus, quia nihil agebat, nisi ex firma persuasionem, quòd licitè aut rectè ageret, at tamen non idcirco putabat immunem se esse ab omni culpa: quia licet certus esset se non habere peccata malitiae, at certus non erat se non habere peccata ignorantiae. Sic interpretatur Apostolum S. Chrysostr. homil. in 1. ad Cor. c. 4. *Quamnam, inquit, ob causam, si sibi nihil fuit conscius, non fuit justificatus? Quoniam contingebat, ut ab ipso quadam peccata essent admessa, neque tamen sciret esse peccata. Hinc considera & reputa, quam erit exaltum & accuratum futurum judicium.* Et S. Basilus in Const. Monast. c. 2. *Cum in multis rebus offendimus omnes, majorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem. Idcirco Apostolus dicebat: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc justificatus non sum. Quòd idem est ac si diceret: Multa delicta commiitò, quae committere me non intelligo.*

*Prob. 2. autoritate Synodi Palaestinae, quae Diospoli celebrata est, & hanc Pelagii propositionem damnavit: Oblivia & ignorantia non subjacent peccato: quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem.* Qua propositione docebat Pelagius, ea quae male fiunt ex ignorantia, vel inadvertentia non affectata, nec expressè volita, non esse imputabilia ad culpam & poenam, quia non ex imperio voluntatis, sed ex infirmitate, ut ipse agebat, humanae conditioni connaturali eveniunt: unde negabat dari peccata ignorantiae. Haec autem doctrina jure merito damnata est, cum dari ignorantiae peccata, pluribus locis aperte doceant Scripturae, & praeter ignorantiam affectatam alia detur etiam culpabilis, utpotè voluntaria in negligentia addiscendi, nec aliunde addiscendi difficultas justam praebet excusationis causam, cum sit iusta peccati saltem originalis poena.

*Prob. 3. autoritate S. Augustini pluribus locis. Nam lib. 1. de pecc. mer. & remiss. c. 36. sic loquitur: An nullum est ignorantiae malum, & ideo nec purgandum? Et quid agit illa vox, Delicta juvenutis & igno-*  
 Dd 4 ran.

*rantia mea ne memineris? Etsi enim damnabiliora peccata sunt, quae ab scientibus committuntur; tamen si ignorantia peccata nulla essent, hoc non legeremus, quod commemoravi: Delicta iuventutis, &c.* Et lib. 6. contra Julianum c. 16. *Nunquid caret (homo baptizatus) ignorantia malo, per quod à nescientibus innumera peccabilia perpetrantur mala? Et epist. 154. Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit hoc putando, utique peccat, & ea sunt omnia peccata ignorantiae, quando quisque bene fieri putat, quod male sit. Quid clarius & expressius dici potest? Juxta S. Doctorem, si quis, quod malum est, bonum esse judicaverit etiam firmiter, sed ex ignorantia culpabili, quamvis indirectè tantum volita in negligentia addiscendi, & fecerit illud, faciendo peccat ignorantia peccato. Peccatum enim ignorantiae est, quoties aliquid male fit ex firma, quod bene fiat, persuasione, sed quam non habemus, nisi propter culpabilem, qua laboramus, ignorantiam; sive quam non habemus, nisi quia negligimus aut negleximus addicere ea quae possimus & tenemur scire.*

*Prob. 4. autoritate S. Hieronymi lib. 1. contra Pelagianos, ubi refert eorum querelam adversus Catholicos sub persona Critobuli his verbis; Rogo quae ista iustitia, ut in peccato tenear erroris, cuius reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse, & ejus rei, quam nescio, poenas luo? Et quid plus faciam, si sponte peccavero? Negabant igitur Pelagiani peccata ignorantiae, asserbant verò Catholici. Hanc autem Pelagianorum querelam refellit hoc loco Hieronymus, varios Scripturae textus allegando, unum ex cap. 21. Exodi, alterum ex cap. 5. Levitici, tertium ex Proverbiis. In Proverbiis, inquit, legimus: Est via, quae videtur recta esse apud homines, & novissima ejus veniunt in profundum inferni. Ecce & hic manifestè ignorantia condemnatur, cum aliud putat homo, & sub specie veritatis ad inferna delabitur. Certe si homo delabi potest ad inferna sub specie veritatis, & cum aliud putat, hoc est, cum putat se bene agere, quando malè agit; manifestum est hominem peccare posse etiam graviter in aliquo, quod malè agit, etiam si illud agat cum firma persuasione quod non malè, sed bene illud agat, si nimirum hæc persuasio fundetur in ignorantia graviter culpabili.*

*Prob. 5. autoritate S. Bernardi epist. 77. ad Hugonem à S. Victore, in qua negantem aliquem dari posse peccata ignorantiae, impugnat his verbis: Si peccatum ignorantiae nullum est, non ergo peccavit Saulus, quod persecutus est Ecclesiam Dei, quoniam quidem ignorans hæc fecit, manens in incredulitate. Bene itaque faciebat, quod erat blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, quod erat spirans minarum & cædis in discipulos Domini, in hoc ipso quippe abundanter emulator existens patrum suarum traditionum. Non ergo debuit dicere: Misericordiam consecutus sum, sed, mercedem recepi, quippe quem ignorantia à peccato reddebat immunem, insuper & emulatio remunerabilem judicabat. Si, inquam, ignorantia nunquam peccatur, quid ergo causamur adversus occisores Apostolorum, quando quidem non solum malum esse nescierunt interficere illos, sed insuper quoque id faciendo arbitrati sunt obsequium se prestare Deo. . . . Nunquid non ex his satis apparet, in quantis jaceat ignorantia tenebris, qui ignorat peccari posse interdum per ignorantiam? Interdum igitur, ut luculenter probat S. Bernardus, aliqui peccant, & quidem gravissimè, etsi nesciant se peccare, imò è contra arbitrentur se non peccare, se aliquid Deo gratum facere.*

*Prob. 6. ratione. Qui ponit deliberatè actum aliquem malum, sed cuius malitiam ignorat, propter negligentiam addiscendi ea quae potest & tenetur scire, à peccato excusari non potest, etiam si actum illum ponat absque omni dubio vel scrupulo de ejus malitia, imò etiam si actum illum ponat cum firma persuasione de ejus bonitate, atque ita ponendo illum, nec advertat, nec advertere possit ad ejus malitiam. Sed hoc est peccare peccato ignorantiae.*

Ergo, &c. Minor patet. *Prob. maj.* Nam si excusari potest à peccato, vel quia actus quem ponit, non est actus humanus. At hoc non: nam, ut supponitur, deliberatè agit: omnis autem actio deliberata est actio humana. Vel quia ignorat malitiam actus quem ponit: At hoc non: culpabilis enim ignorantia excusare non potest; alioqui melior esset conditio negligentis addicere ea quae potest & tenetur scire, quam adhibentis debitam ad ea addiscenda diligentiam; quod est absurdum. Vel quia firmam, quamvis falsam, habet persuasionem de bonitate actus quem ponit. At hoc non: nam hæc persuasio est error culpabilis, quia est effectus culpabilis ignorantiae, proindeque ad excusandum valere non potest. Vel denique quia nequidem potest hic & nunc advertere ad malitiam actus quem ponit. At hoc non: nam hæc impotentia est effectus culpabilis ignorantiae. Unde si quis potest à peccato excusari propter hanc impotentiam, excusabitur re ipsa propter culpabilem ignorantiam. Uno verbo, hæc impotentia non est naturalis, sed voluntaria, proindeque justam excusationis causam præbere non potest. Ergo qui deliberatè ponit, &c.

*Obj.* Omne peccatum essentialiter voluntarium est in se. Nam, ut ait S. Augustinus, peccatum usque aded voluntarium malum est, ut non sit peccatum, si non sit voluntarium. Sed id quod malè fit ab eo, qui nescit malum esse, imò qui putat bonum esse quod facit, non est voluntarium in se; nihil enim in se volitum, nisi præcogitum. Ergo non est peccatum, consequenter nec datur nec dari possunt peccata ignorantiae. *R. dist. maj.* Omne peccatum essentialiter voluntarium est in se, quantum ad substantiam actus, *C. maj.* Quantum ad circumstantiam malitiae actus, *N. maj.* & *dist. min.* Sed id, quod malè fit, &c. non est voluntarium in se, formaliter scilicet, quantum ad circumstantiam malitiae actus, *C. min.* Quantum ad substantiam actus, *N. min.* & *conseq.*

Itaque omne peccatum essentialiter voluntarium est in se saltem quantum ad substantiam actus, vel quasi actus, quia omne peccatum essentialiter est actus, vel quasi actus humanus, & consequenter vel actio deliberata, vel deliberata omisso actionis; nemo enim peccat aut peccare potest, nisi ex prævia cognitione intellectuali liberè ponendo actum prohibitum, aut omitendo actum præceptum. Unde nec peccant nec peccare possunt infantes, amentes, dormientes, & quicumque alii, qui nullum rationis suae usum habent, & consequenter non possunt deliberatè agere vel omittere, ac proinde nec habere actus aut quasi actus humanos. Hinc actu non peccant ebrii, in ebrietate turpe aliquid faciendo, quando scilicet eorum ratio penitus vino obruta est, licet antea graviter peccaverint, sese exponendo morali periculo in ebrietate turpia perpetrando. Dixi autem, quando eorum ratio vino penitus obruta est: nam quandiu in ebrietate semi-plenum rationis usum retinent, puto eos actu peccare graviter turpia perpetrando, quia tunc humano modo agunt, quamvis imperfectè; & quod expeditum rationis usum non habeant, cum sua gravi culpa non habeant, non potest illos excusare; ita ut peccatum, quod aliàs esset morale, propter impeditum ex parte usum rationis, fiat veniale; præfertim si præviderunt, aut prævidere potuerunt, quid probabiliter facturi essent in ebrietate.

Peccatum igitur nullum esse potest, nisi voluntarium sit in se, quantum ad substantiam actus. At minimè requiritur ut sit etiam voluntarium in se, quantum ad circumstantiam malitiae. Nam qui deliberatè ponit aliquem actum malum, ex culpabili ignorantia putans non malum, sed bonum esse, deliberatè ponit actum, quem lex prohibet, proindeque verè peccat, quia excusari non potest ex eo, quod non putat esse prohibitum, sed è contra putat non esse prohibitum, quia prohibitum esse scire debet; nec ignorat, nisi quia negligit aut neglexit scire quae scire potest & tenetur. Unde perinde se habet secundum prudentem estimationem in ordine ad veram imputabilitatem, ac si re ipsa sciret actum suum lege prohiberi.

Unde

Unde circumstantia malitiae & prohibitionis est illi moraliter & aequivalenter voluntaria in se in ordine ad veram, quamvis non tantam, imputabilitatem.

Hanc doctrinam tradit S. Augustinus lib. 1. retract. cap. 15. ubi sic loquitur: *Qui nesciens peccavit, non incongruenter volens peccasse dici potest, quavis & ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quae voluntas utique, sicut definita est, animi motus fuit nullo cogente ad aliquid vel non admittendum, vel adipiscendum. Quod enim, si nolisset, non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit, ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit: ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati. Quod tamen factum peccatum fuit. Hoc enim factum est, quod fieri non debuit.*

Itaque juxta S. Doctorem, qui peccavit nesciens se peccare, quia fecit aliquid malum, culpabiliter nesciens illud esse malum, peccavit volens simul & nolens in bono sensu. Peccavit volens, quia malum quod fecit, deliberatè fecit, & ex propria determinatione fecit. Peccavit nolens, vel potius non volens, quia malum quod fecit, nescivit esse malum, sed è contra putavit esse bonum, proindeque illius quod fecit, malitiam in se neque directè neque indirectè voluit: peccavit tamen illud faciendo, quia deliberatè & ex propria determinatione fecit, quod non facere, & malum ac prohibitum esse scire debuit. Peccatum hoc non fuit in se voluntarium voluntate peccati, quia agens neque directè neque indirectè voluit peccare; cum neque directè neque indirectè intenderit malitiam actionis in se: at fuit in se voluntarium voluntate facti, quia agens deliberatè & ex propria determinatione fecit, quod malum & prohibitum erat, & sic fecit, ut potuerit non facere, quod ad peccandum semper requiritur; cum omne peccatum sit essentialiter actio vel actionis omissio deliberata & libera; & sufficit in eo, qui non nisi culpabiliter ignorat malum & prohibitum esse illud quod facit. Ex his

*Resp. Adhuc ad obj.* dist. maj. Sic juxta modum loquendi S. Doctoris, omne peccatum est essentialiter in se voluntarium, seu volitum voluntate facti, C. maj. Nam peccatum est essentialiter actus vel quasi actus humanus, & consequenter actus vel quasi actus deliberatus & liber. Omne peccatum est essentialiter in se voluntarium, seu volitum voluntate peccati, N. maj. Nam ut quis peccet, necessarium non est, ut vel directè, vel saltem indirectè velit peccare, sive, quod idem est, ut vel directè, vel saltem indirectè intendat malitiam actionis, aut omissionis malae & prohibita; sed sufficit, si deliberatè agat, quod omittit, vel omittat quod agere debet, non nisi culpabiliter ignorans prohibitum esse quod agit, aut præceptum esse quod omittit, quantumvis agat aut omittat cum firma persuasione, quod non malè, sed benè agat aut omittat. Ad min. autem dico, id quod malè fit ab eo, qui non putat malum esse, imò qui putat bonum esse quod facit, in se voluntarium seu volitum esse, non quidem voluntate peccati, sed voluntate facti: quod ad peccatum sufficit in eo, qui non nisi ex errore culpabili putat non malum, sed bonum esse quod facit.

*Dices.* S. Augustinus lib. 3. de libero arbitrio c. 19. dicit peccatum, quod proprie vocatur peccatum, libera voluntate, & ab sciente committi. *Resp.* Hunc textum non esse ad rem. Nam ibi S. Doctor loquitur de peccato Adami, quod opponit iis, quae malè sunt ex ignorantia invincibili, & quae dicit non esse peccata, nisi improprie, in quantum scilicet sunt effectus peccati illius, quod fuit proprie peccatum, quia ab Adamo non solum liberè, sed etiam scienter commissum fuit: *Illud quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, idèò dicuntur peccata, quia de peccato illo libera voluntatis originem ducunt. Illud enim procedens meruit ista sequentia: nam sicut linguam dicimus non solum mem-*

*brum quod movemus in ore, dum loquimur, sed etiam illud quod hujus membri motum consequitur, idèst, formam tenoremque verborum.... sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum; libera enim voluntate, & ab sciente committitur; sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est.*

Opponit igitur S. Doctor peccatum Adami, quod liberè & scienter commissum fuit, non iis, quae malè fiunt ex quacumque ignorantia, sed iis tantum, quae malè fiunt ex ignorantia invincibili, proindeque inculpabili; nec de iis, quae malè fiunt ex quacumque ignorantia, sed de iis tantum, quae malè fiunt ex ignorantia invincibili, dicit quod non sint peccata nisi improprie, sive quod eatenus vocari possint, & sint peccata, quatenus necessariò consequuntur de supplicio peccati illius, quod liberè & scienter à primo parente commissum fuit, & quod proinde fuit peccatum proprie; non quod ad peccatum proprie dictum requiratur, ut fiat à sciente malitiam actionis, sed quod quidquid malè fit liberè & à sciente malitiam actionis, sit peccatum proprie dictum.

*Nota.* Aliud est, illud omne esse peccatum proprie, quod propria voluntate & ab sciente committitur; & aliud, nihil esse peccatum proprie, nisi quod propria voluntate & ab sciente committitur. Primum dicit S. Augustinus, non secundum: alioquin excusaret à peccato proprie dicto ignorantiam vincibilem, & ea omnia quae malè fiunt ex ignorantia vincibili. Quod esse falsum, manifestum est ex ipso cap. allegato, ubi sic ait S. Doctor: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis querere, quod ignoras: neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. Ista tua propria peccata sunt: nulli enim hominum ablatum est scire militer querere, quod inutiliter ignorat, &c.*

## ARTICULUS II.

*Utrum peccatum omissionis possit esse absque omni actu voluntatis.*

## RESPONSIO

**P**otesse physicè, non moraliter.

*Prob. 1. pars.* Nam hoc ipso quod aliquis non audit sacrum die festo, potens audire, & sciens se teneri ad audiendum, licet nullum eliciat actum, quo sive directè sive indirectè nolit sacrum audire, quod certè potest absolute; quidni enim tunc omnem, circa sacri auditionem vel non auditionem, actum voluntatis posset absolute suspendere? hoc ipso, inquam, intelligitur peccare, quia hoc ipso intelligitur transgredi præceptum ecclesiasticum de audiendo sacro.

Et verò in casu proposito, omissioni, quamvis pure, nihil deest ad hoc, ut sit peccatum. Nam est ommissio actus liberi & præcepti. Atqui omnis ommissio actus liberi & præcepti, sive pura sit, sive non, est peccatum. Ergo, &c. Major patet. *Prob. min.* Quia ommissio actus liberi & præcepti est ommissio libera actus præcepti: sicut enim actus liberè ponitur hoc ipso, quod ponitur cum potestate illum non ponendi; ita hoc ipso liberè non ponitur, quod non ponitur cum potestate illum ponendi; proindeque, quod idem est, hoc ipso ommissio actus libera est, quod est ommissio actus liberi, seu actus, qui potest poni. Atqui ommissio libera actus præcepti peccatum est: est enim libera transgressio alicujus legis. Ergo, &c.

Simile argumentum proponi potest de actu merè interno. Nam v. gr. si quis advertat aut advertere debeat hic & nunc urgere præceptum charitatis, & omnem voluntatis actum circa Deum suspendat, hoc ipso contra charitatem peccare intelligitur: hoc ipso enim hic & nunc intelligitur omittit actum liberum & præceptum, seu liberè omittit actum præceptum.

*Dices.* Peccatum non potest esse sine aliquo exercitio libertatis. Atqui in casu proposito nullum est exercitium libertatis: nam in casu proposito omne libera-

libertatis exercitium suspenditur. Ergo in casu proposito non esset peccatum. *Resp.* dist. maj. Peccatum non potest esse sine aliquo libertatis exercitio positivo vel negativo, C. maj. Sine aliquo libertatis exercitio positivo, Subdist. Peccatum commissionis, C. maj. Peccatum omissionis, N. maj. In casu autem proposito nullum quidem exercitium est libertatis positivum, sed est negativum, seu interpretativum, hoc ipso quod suspenditur omne exercitium positivum libertatis pro eo tempore, pro quo re ipsa libertas positivè exerceri potest: talis enim suspensio est formalissimè negativum seu interpretativum libertatis exercitium, quod sufficit ad peccatum omissionis, quod non est formaliter actus humanus, sed solum interpretativè, & ad quod proinde non requiritur voluntarium & liberum positivum, sed sufficit interpretativum & negativum.

*Dices.* Si pura omisso potest esse demeritoria, potest etiam esse meritoria. Absurdum conf. Ergo, &c. R. neg. seq. maj. Nam 1. plura requiruntur ad merendum, quam ad demerendum, juxta illud axioma: Bonum ex integra causa, malum verò ex quolibet defectu. 2. Homo mereri non potest, nisi agat vel omitat ex affectu supernaturali virtutis aliqujus, ac proinde repugnat hominem mereri per puram omissionem.

*Dices.* Omisso actus externi, puta sacrum audiendi, non potest esse sine aliquo actu externo incompossibili, puta sine aliqua occupatione externa, vel existentia in loco distanti, quibuscum auditio facti stare non potest. Ergo non potest esse sine aliquo actu interno, quo voluntas velit actum externum incompossibilem, & consequenter repugnat omissionem actus externi esse puram. *Resp.* Nego conf. Quia ad omissionem actus externi actus externus incompossibilis non requiritur per modum actus, qui sit volutus ut causa vel occasio omittendi, sed solum ex necessitate naturæ, quæ non potest existere sine aliqua ubicatione, & occupatione vel quasi occupatione.

*Dices.* S. Augustinus lib. de vera & falsa relig. c. 16. sic loquitur: *Non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, que ille (Christus) contempsit, aut fugiuntur, que ille sustinuit.* Ergo nullum peccatum esse potest sine aliquo voluntatis actu, quo velimus aut nolimus aliquid prohibitum. *Resp.* neg. conf. Nam S. Augustinus sub nomine appetitus & fuga comprehendit etiam omissiones illarum actionum. Alioqui nulla præcepta affirmativa agnosceret; quod est falsum. Sic cum desinit peccatum, dictum, factum vel concupitum contra legem Dei, sub nomine dicti, facti vel concupiti comprehendit non dictum, non factum, non concupitum, ut jam aliàs notavimus.

*Prob. 2. pars.* Quia tanta est voluntatis promptitudo & activitas, tantaque naturalis ejus inclinatio ad prosecutionem boni & fugam mali, ut moraliter non possit non sinere, & re ipsa, ut experientia docet, semper sinat se moveri ab aliquo ex bonis vel malis sibi propositis. Unde moraliter fieri non potest, & re ipsa nunquam fit, ut omitat absque aliquo actu, qui sit causa vel occasio omittendi. Et verò, ut experientia constat, quotiescumque omittimus actum aliquem sive externum sive internum, omittimus illum, vel quia odimus illum propter rationem mali, quæ in eo relucet, vel quia nolumus illum exercere propter exercendi difficultatem, vel quia volumus aliquid aliud cum eo incompossibile.

*Quæres 1.* Utrum voluntas expressa omittendi actum præceptum, sit peccatum commissionis? *Resp.* Hanc voluntatem esse quidem physicè commissionem, ac formaliter & in ratione peccati pertinere ad omissionem: quando enim liberè & scienter omittis actum præceptum, sive omittas illum expressè volendo omittere, sive omittas illum præcisè suspendendo omnem actum quo velis aut nolis omittere, perinde est in assimilatione morali in ordine

ad transgressionem præcepti: expressa igitur voluntas omittendi actum præceptum simpliciter dici debet peccatum omissionis, quacum facit unum in genere moris, & unum & eandem cum illa malitiam habet per oppositionem ad legem affirmativam. Hinc satisfacit in confessione, qui dicit se omisisse sacrum, quamvis expressè voluerit omittere, nisi tamen hæc voluntas fuerit lapsius repetita, quia tunc est peccatum numero multiplex; aut concepta ex motivo aliquo malo, quia tunc duplex est specie peccatum.

*Quæres 2.* Utrum omne opus, incompossibile cum impletionem præcepti affirmativi, sit peccatum, si exerceatur eo tempore, quo præceptum implendum est.

*Resp. 1.* Opus incompossibile cum impletionem præcepti peccatum esse, si sit causa vel occasio omissionis, seu transgressionis præcepti. Sic v. g. si quis die festo sacrum omitat, ut studeat vel ludat, studium vel lusus peccatum est. Ratio est, quia est causa vel occasio effectus mali, nempe omissionis peccaminosæ. Sed quod est causa vel occasio effectus mali, vitiatur per effectum malum, cujus est causa vel occasio: effectus enim est circumstantia causæ vel occasionis, & ita effectus malus est circumstantia mala causæ vel occasionis. Ergo, &c.

Præterea, opus incompossibile cum impletionem præcepti, & quod est causa vel occasio omissionis peccaminosæ, repugnat præcepto, quod per omissionem violatur: præceptum enim positivum, hoc ipso quod præcipit actum aliquem, simul prohibet omne opus incompossibile cum actu, quod sit causa vel occasio omissionis illius. Sed quod repugnat præcepto, peccatum est. Ergo, &c. Opus autem ejusmodi, quæ tale, non aliam contrahit malitiam, quam omissionis, quia eatenus malum est, quatenus repugnat præcepto affirmativo, præcipienti actum, qui culpabiliter omittitur: illam tamen occasio potest, vel minuere. Nam v. gr. gravius est sacrum omittere ad ludendum, quam ad studendum; & ad studendum, quam ad domi orandum.

*Resp. 2.* Opus incompossibile cum impletionem præcepti, etiam si non sit causa vel occasio omissionis peccaminosæ, quia nimirum natura posterius affumitur ad voluntatem efficacem omittendi, esse nihilominus malum & peccaminosum. Ratio est, quia præceptum positivum, præcipiens aliquem actum, hoc ipso prohibet omne opus incompossibile cum actu præcepto; prohibet, inquam, pro eo tempore, pro quo actum præcipit: nam v. gr. qui dicit: Præcipio tibi, ut crâs hora septima sacrum audias; virtualiter dicit: Prohibeo tibi, ne cras hora septima studeas, vel ludas, vel deambules, vel domi maneat ad orandum, &c. Hinc si quis, postquam efficaciter statuit non audire sacrum, & manere domi, putat ad vitandum frigus, orat, peccat orando, quia orat in loco prohibito, utpotè incompossibili cum auditione sacri; & sic oratio mala est propter malam loci circumstantiam, nec talis supponi potest devotè orare, nisi supponatur Deus hominem per interiorem gratiam ad actum malum adjuvare: quod est absurdum.

*Quæres.* Utrum peccet is qui scienter, aut nonnisi cum ignorantia vel inadvertentia culpabili, ponit causam futuræ omissionis. *Resp.* Illum peccare, quia tunc liberè ponit causam omissionis, quam proinde vult interpretativè saltem: quod sufficit ad contrahendam malitiam omissionis; quamvis fortasse peccatum ejus non possit dici simpliciter peccatum omissionis, cujus tamen jam totam habet malitiam, quia peccatum omissionis simpliciter est complexum ex ejus malitia & ipsa omissione, quæ nondum est, eo scilicet modo quo esse potest: non enim omisso est eo modo quo esse potest, nisi pro eo tempore, pro quo præceptum affirmativum urget, & actus præceptus non ponitur. Unde nonnisi pro eo tempore peccatum omissionis censetur completum, & ita nonnisi pro eo tempore incurritur pena per legem humanam imposita peccato omissionis simpliciter.

Idem

Idem dic de eo, qui liberè & scienter, aut non nisi cum ignorantia, vel inadvertentia culpabili, exponit se morali periculo omittendi: hoc ipso enim contrahit totam malitiam omissionis, quamvis postea non sequatur omissio. Ratio est, quia sic exponendo se morali periculo omittendi, interpretativè voluit omissionem. Hinc etiam postea non sequatur omissio, perinde in confessione accusare se debet de omissionis malitia, ac si re ipsa omisisset. Quòd si is, qui posuit causam omissionis, vel exposuit se morali periculo omittendi, postea, urgente præcepto, possit præceptum implere, desistendo ab opere impossibili, non implens præceptum, peccat novo peccato omissionis; & ita tunc omissio non solum est effectus peccati, sed etiam peccatum formaliter: tunc enim in se libera est eo modo, quo actus externus liber esse potest. In quo non est difficultas. Sed

*Quæres adhuc.* Utrum omissio, quæ non est in se formaliter libera, sed solum in causa, quæ non est amplius in potestate hominis, quando sequitur omissio verbi gratia auditionis sacri, aut lectionis Horarum in dormiente, cum urget præceptum audiendi sacrum, aut Horas recitandi, sit peccatum formaliter?

*Resp.* Negativè. Ratio est, quia, ut apertè colligitur ex S. Augustino lib. I. retract. cap. 15. omne peccatum propriè dictum, essentialiter est in se voluntarium, seu volitum saltem voluntate facti, quando committitur. Atqui in casu proposito omissio non est in se voluntaria, seu volita nequidem voluntate facti, cum sequitur urgente præcepto. Ergo omissio in casu proposito non est peccatum formaliter & propriè, cum sequitur urgente præcepto.

*Prob. min.* Nam, ut manifestum est ex eodem S. Doctore eodem loco, illud solum in se voluntarium est, seu volitum voluntate facti, quod deliberatè ponitur ab homine. Atqui omissio in casu proposito nec ponitur, nec potest poni deliberatè, cum sequitur urgente præcepto: dormiens enim nec agit, nec agere potest deliberatè. Ergo omissio in casu proposito, cum sequitur urgente præcepto, nequidem voluntate facti in se voluntaria seu volita est.

*Confirm.* Quia dormiens in casu proposito non potest propriè peccare, nisi ponendo actum vel quasi actum humanum contra præceptum: cum omne peccatum propriè sit essentialiter actus vel quasi actus humanus, repugnans præcepto. Ergo in casu proposito non potest propriè peccare, nisi deliberatè agendo vel omittendo contra præceptum: cum omnis actus vel quasi actus humanus sit essentialiter actus deliberatus. Atqui in casu proposito nec agere deliberatè, nec deliberatè omittere potest: cum non habeat usum rationis & libertatis. Ergo in casu proposito non potest propriè peccare. Ergo omissio in casu proposito nec est nec potest esse propriè peccatum, cum sequitur urgente præcepto. Superest ergo ut sit tantum effectus peccati, vel, si vis, extrinsecum complementum peccati, non quia novam addit malitiam, quod tamen faceret, si tunc esset propriè & formaliter peccatum, cum sequitur urgente præcepto, seu si tunc propriè & formaliter peccaret dormiens peccato omissionis, qui jam antea peccaverat ponendo causam omissionis futuræ; sed quia tunc tantum peccatum commissionis, quo omissionis futuræ causa posita est, & contracta est tota malitia omissionis, incipit dici & esse simpliciter peccatum omissionis, cum omissio sequitur urgente præcepto.

*Dices.* In casu proposito omissio sequens urgente præcepto, culpabilis est. Ergo est peccatum. *Resp.* dist. ant. Culpabilis est ratione sui, N. ant. Ratione alterius, cuius est effectus, nempe ratione actus, quo causa illius culpabiliter posita est, C. ant. & N. conseq. vel, si vis, Dist. conf. Ergo est peccatum formaliter, N. conf. Materialiter, C. conseq. Nam nihil vetat, quin in casu proposito dicatur, ex actu, quo culpabiliter posita est causa omissionis futuræ

moraliter permanente & ex ipsa omissione, quæ re ipsa sequitur urgente præcepto, resultare totum quoddam morale, cuius formale est actus, quo posita est causa omissionis, materiale verò ipsa omissio, & quo habitualiter inficitur is, qui omisit, & quod proinde rectè dicitur peccatum omissionis completum, non actuale, sed habituale, reddens hominem dignum pœnis propter omissionem impositis: sicut juxta mentem S. Augustini, peccatum originale est totum quoddam morale, resultans ex peccato Adami, physicè præterito, sed in non renatis moraliter permanente, tanquam formali, & ex concupiscentia, quæ effectus illius est, tanquam materiali, quod totum est peccatum, non actuale, sed habituale, quo habitualiter inficiuntur Adami posterii, donec renascantur; & habitualiter redduntur odio & pœna æterna digni.

Sicut ergo S. Augustinus dicit non renatos infici per concupiscentiam, reos & peccatores esse propter concupiscentiam, propter concupiscentiam odio & pœna dignos esse, quia concupiscentia non ratione sui, sed ratione alterius, cuius est effectus, culpabilis est, quia concupiscentia est materialis pars totius cuiusdam moralis, quo renati, non actualiter, sed habitualiter inficiuntur, & quod proinde peccatum est, non actuale, sed habituale: ita in casu proposito rectè dici potest dormiens infici per omissionem, reus & peccator esse propter omissionem, dignus odio & pœna propter omissionem, cum sequitur urgente præcepto; quia omissio, cum sequitur urgente præcepto, culpabilis est, non ratione sui, sed ratione alterius, cuius est effectus, quia omissio est materialis pars totius cuiusdam moralis resultantis ex ipsa omissione, cum sequitur urgente præcepto, & actu, quo illius causa culpabiliter posita est, moraliter perseverante, & dormientem, non actualiter, sed habitualiter inficientis, quodque proinde, non actuale, sed habituale peccatum est.

Quod confirmari potest. Quia si is, qui culpabiliter posuit causam omissionis futuræ, conteratur, antequam urgeat præceptum, nullo modo culpabilis est propter omissionem, etiam si postea sequatur urgente præcepto; quia tunc omissio neque ratione sui, neque ratione alterius peccatum est, sive, quod idem est, neque peccatum est actuale & formaliter, neque pars, materialis scilicet, peccati habitualis, ex ea, & actu, quo causa illius posita est, resultantis; quia actus ille non amplius perseverat moraliter, eò quòd contrito condonatus est.

Ex his vides discrimen quod interest inter eum, qui deliberatè omittit, & eum qui non omittit deliberatè, urgente præcepto, postquam culpabiliter posuit causam omissionis futuræ, nec eam per actum contritionis retractavit. Nam in primo omissio est peccatum actuale & formaliter; quia est omissio deliberata, & consequenter est quasi actus humanus, & est in se voluntaria, seu volita saltem voluntate facti. Dico, saltem: nam si ponatur cum actuali advertentia malitiæ, est etiam voluntaria, seu volita voluntate peccati; si verò ponatur cum inadvertentia, quæ supponitur esse culpabilis, est tantum voluntaria, seu volita voluntate facti. In secundo verò, cum non sit deliberata, nec in se volita saltem voluntate facti, eatenus peccatum dici potest, quatenus cum actu, cuius est effectus, tanquam materiale cum formali moraliter perseverante, constituit totum quoddam morale, quo habitualiter inficitur homo, & redditur dignus pœna imposita non observantibus præceptum positivum: quod non est, esse peccatum, nisi materialiter, & ratione alterius, quod propriè peccatum est.

*Dices.* Si omissio in casu proposito non est peccatum formaliter, qui etiam scienter & liberè posuit causam, ex qua securura erat, non peccavit. Absurdum conseq. Ergo, &c. *Resp.* neg. teq. maj. Nam licet non sit mala formaliter, est tamen mala objectivè, & ita volitio illius fuit mala. Unde in casu proposito peccavit, qui liberè & scienter posuit causam,

ex quo